

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Atlas minor Gerardi Mercatoris

Mercator, Gerhard

Amsterodami, 1610

Hibernia III tabula, in qua Momonia & Lagenia reliqua

[urn:nbn:de:bsz:31-118360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-118360)

Hiberniæ III. Tabula, in qua Momonia & Lageniæ reliqua. CONNACIA.

Regio
di omnia.

Soli qualitas.

Imperium majus
vires.

Opida.

CONNACIA secunda Hiberniæ pars, aliis *Connachtia*, Anglis *Connagh*, & Hibernis *Connaghty* dicitur. Ad Occasum vergit, Seno flumine, *Banna*, & Oceano inclusa. Hanc antiquitus Ptolemæi ætate *Antri* & *Nagnata* totam infederunt. Tam arcta verò cognatio inter *Nagnatas* & *Connaghty* intercedere videtur, ut vel *Connaghty* inde enatum, vel hoc nomen *Nagnata* à *Connaghty* detortum existimare liceat. Nisi quis à *Nagnata* portu cujus meminit Ptolemæus *Connaghty* factum suspicetur, & inde regioni nomen impositum. Portus enim *Cuon* patria lingua dicitur, cui si addas *Nagnata* à *Connaghty* non multum abludet. Caterum regio ut alicubi lata, & ferax, ita subuvidis quibusdam locis, herbidis tamen, quos à mollitie *Boghes* appellant, ut reliqua passim Insula, periculosa, & sylvis opacioribus & crebrioribus condensa. Ora autem maritima multis sinibus, & navigabilibus alveis pervia accolat ad navigationes quodammodo invitat, & provocat, sed innata desidæ dulcedo ita detinet, ut ostiatim malint victum quarere, quàm honestis laboribus paupertatem repellere. In Hibernicis proditum est historiis *Turloghuan O-mor O-conor* huic regioni cum Imperio olim præfuisse, totamque inter duos filios, Cahelum, & Brienum divisisse. Advenientibus vero in Hiberniam Anglis Rothericus præfuit, qui Hiberniæ Monarcham se dixit, sed ille mole Anglici belli imminentis territus se in Henrici nostri secundi fidem, non tentata Martis alea, contulit. Cum autem statim à fide deficeret, Milo Coganus primus Anglorum Connachtiam, sed irritò incepto, aggressus est. Postea Guilielmus filius Aldelmi, cujus posterius de *Burgo*, & *Bourki* Hibernice vocantur, Gilbertus de *Clare* Comes Glocestrensis, & Guilielmus de *Bermingham*, primi Anglorum hanc regionem perdomuerunt, & ad humanitatem imbuerunt. *Bourkus* vero sive de *Burgo*, & eius posterius totius Connachtie Domini appellati, hanc Provinciã cum Ultonia diu summa tranquillitate administrarunt, & opimos redditus collegerunt, donec unica Richardi de *Burgo* filia Connachtie, & Ultonie ex assè hæres elocata fuerat Leonello Clarentie Duci Regis Edvardi tertii filio. Cum autem ille in Anglia ut plurimum hæreret, & qui illi successerunt Mortuomarii, patrimonium in Hibernia negligentius haberent, *Bourki* affines, quos illi suis terris præfererunt, Dominorum absentia, & turbulentis in Anglia temporibus freti, contempta legum autoritate, inita cum Hibernicis societate, & contractis nuptiis, universam Connachtiam sibi occuparunt, & paulatim degenerantes, Anglico cultu deposito, Hibernicos mores induerunt. Hodie in sex comitatus distribuitur: *Claria*, *Letrimme*, *Galvveia*, *Roscomin*, & *Maio*, *Sligo*. Sunt etiam in hac Baro de *Atteruh*, Baro de *Clare*, & alii. Est hic *Galveia*, opidum ab exteris negotiatoribus valde frequentatum, & opulentis mercatoribus suumque negotium bene gerentibus cumulatam. Ferunt Mercatorem transmarinum qui habuit cum his opidanis commercium, olim percunctatum ex Hiberno quodam, in qua Galveia parte Hibernia consisteret? Opidum pro regione, contraque Insulam pro municipio accepit. Galveia annumerantur *Ameria*, *Claria*, *Sligaia*, *Arctlonia*, & *Alonia*, opidum non contemnendum.

Antri

VLTONIA CONNACIA & MEDIA.



VLTONIA
CONNACIA
& MEDIA

CONNACIA & MEDIA.

44

Auteri autem quos dixi, Australiorem hujus Connacie partem olim occuparunt, ubi nunc *Twomondia* vel *Claria*, *Clan-Richardi* regio, & Baronia de *Atterith*, quæ *Auterorū* nomē in se planissime prodit. *Twomond*, Giraldo *Thuetmonia* (quæ quamvis ultra Senum jaceat, Momoniae adjudicatur) grandiori Promontorio in mare projicitur, sede Archiepiscopali, quam *Toam* dicunt, & suis Comitibus celebris, *O Brenis* scilicet, qui è veteribus Connacie Regulis oriundi, ab Henrico VI II *Twomondia* Comitum titulo sunt honorati. Hæc regio, vel maxima ejus pars Anglis *Claria* Comitatus appellatur a Thoma Clare juniore filio Gilberti primi, Conitis Glocestria: cui hanc regionem Rex Edwardus primus concessit. *Clan-Richard*, id est, *Terra filiorum Richardi* his est contermina, nomen Hibernico more a Richardo quodam sumpsit ex Anglica familia, *De Burgo*, sive *Burgenſis* dicta, quæ postea maximi nominis & potentia: in hoc tractu fuit, & è qua Richardū de Burgo Henricus VI II Comitem *Clan-Richard* creavit. *Atterith* vulgo *Athemy* bellicosum Baronem suum Ioannē *De Bermingham* Anglum in suam laudem rapit, è qua familia Comites de *Loub* sunt prognati. Inter hos *Auteros Aisoba* flu. ostiū a Geographo statuitur, nunc *The bay of Galway* dici videtur: *Galway* enim Hibernice *Gallve*, in ejus recessu cernitur elegans sane & turritum opidum, quod fluminis beneficio diversas opes terræ marisque facili permiscet commercio. *Ravium* item fluvium in Connacia statuit Geographus, sed inversis pro *Baniam* literis, quo etiam num nomine innotescit; *Banny* enim accolis nominatur, qui ex Erno lacu emissus Connachtia: & Ultonia: limes dignoscitur. Ad Incolas redeo. Connacia: reliquum ad Boream occuparunt olim *Nagnata* usque ad *Banum* fluvium, qui Ultoniam & Connaciam interdividit, ubi *O Conor*, *O Rore*, & *Mac Diarmod* sylvestres Hibernici rerum quodammodo potiuntur. Littus vero ab *Aufoba* dorsum agit per Insulas *Arvan*, *Inisceath* *Colmāni* monasterio olim notam, & *Inis Bovind*, quam Beda ex Scotico sermone *Vitula alba Insulam* interpretatur. Retrahatur inde litus ad *Libnii* fluvii ostium, quem exulantem ad suam *Dubliniam* reducit Camdenus, sed locus quem designat Ptolemæus, nunc *The bay of Slegah* vocatur. *Nagnatam* urbem hic ponit Ptolemæus, sed quænam illa sit, eruere non est mei ingenii, inquit idem Camdenus. Archiepiscopus hic unus qui *Twenni* vulgo *Toam* residet & Momoniae adjudicatur, sub quo hi sunt Episcopi suffraganei: *Kilmako*, *Olsine*, *Bishops Helphen*, forte: *Avaghdowne*, *Clenfert*, *Moroo*.

Regis.
Nomina.
Vnde ducta nomina.
Situs.
Sals fertilitas.
Imperium majorum.

Media.

MEDIA tertia Hibernia: portio, quam patrio vocabulo *Myh* dicunt, Angli *Methe*, Giraldo *Midiām* & *Mediam*, forsitan quod sit in ipso Insulæ medio. Umbilicum enim Hibernia: *Killaur*, in hac parte castrum, quod videtur esse Ptolemæi *Laberus*, perhibent, ipsumque nomē non aliud innuit: *Lair* enim lingua Hibernica medium significat. Hæc ab Hibernico mari ad Sineum usque flumen protensa jacet, quod flumen ipsam a Connacia disternit. Aërem habet salubrem aspectumque delectabilem. Fertilis est frumento, pascuis & armentis, affluens carnibus, butyro, caseo, lacte, & similibus: ac propter populi multitudinem, castrorum & opidorum fortitudinem & pacem inde natam vulgo *Camera Hibernia* audit. Scribunt Hibernici regionem hanc suos quosdam habuisse reges, Slanumq; Hibernia: Monarcham postea regali mensa

menſæ appropriaffe. Cum autem Angli pedem in Hibernia fixiffent, Hugo Laccius maximam ejus partem ſubjugavit, illique in feudum conceſſit rex Henricus ſecundus, *Dominumque de Meda dixit*, qui ab Hibernico dum *Derwartha* caſtrum conderet ex improvifo capite truncatus; ille duos filios ſuſcepit Hugonem Comitem Ultoniæ, & Walterum Dominum de *Trim*, qui Gilbertum ſuperſtite patre defunctum genuit. Per Gilberti autem filias Margaretam & Matildem, altera pars per *Jervillos* ex familia Lotharingica, & *Mortuomarios* in domanium Regium, Petrus enim de *Jenevull* ex illa Matilde natus Ioannam Rogero de *Mortuomari* Comiti *Marchie* enuptam genuit: altera per *Verdonos* ad varias in Anglia familias eſt devoluta. Patrum memoria in duas partes publico ordinum conventu diviſa fuit hæc regio, in Mediam ſcilicet Orientalem; & Occidentalem. Orientalem *Boandus* flu. qui Ptolemæo *Buvinda* primum interfluit, & poſtea cum *Droghda* elegans & frequens opdum a ponte ſic dictum alluerit, hanc partem ab Ultonia ſecludit. Occidentalis Media præter *Laberum* jam dictum, & *Delvin*, quæ olim Petrum *Meſer*, nunc clariffimam Nogentorum ex Anglia familiam Baronis honore exornat, nihil memorandum habet. Gilbertus enim *Nogent* (ut habet Richardus Stanihurſtius, qui de rebus Hibernicis diſerte ſcripfit) vir cenſus equalitris ob operam bello Hibernico egregie navatâ Delviniæ & Fouriæ coloniis ab Hugone Laccio Mediæ expugnatore donatus erat, è cujus ſtirpe Delviniæ Barones enati ſunt. Hibernicas gentes *O Malaghlen*, *Mac Coghlan*, *O Madden*, *Magoghigan*, quorum vel nomina barbarum quiddam ſtrepunt, libenter aliis relinquimus. In Media autem opida numerantur *Pontana*, quæ vulgariter *Droghe-daia* nominatur, opidum lautiffimum, portum habens navium ſtationi perappoſitum. Sunt tamen qui mediâ hujus opidi partem, nimirum trans flumen, in Ultonia ponant. Inſunt item in Media, *Molingaria*, *Fowia*, *Delvina*, *Trimmia*, *Kelleſia*, *Naxania*, *Aboia*, *Dulekia* & *Scrimia*. Sunt & in hac provincia prope Foneram tres Lacus ab invicem non remoti, quorum quilibet Piſcium ſuum genus continet: ad quem nunquam alii Piſces accedunt, licet tamen fluminis interlabētis beneficio vias commeabiles habeant: quinimo ſi Piſcis uni^o ad Lacum alterius deferatur; aut moritur aut ad priorem redit. Fluvii hic ſunt *Boandus* de quo ſupra, qui a velocitate nominatus videtur: *Boan* enim tam Hibernico quam Britannico idiomate velocem denotat. *Trim* opidum eſt melioris notæ, & antiqua quaſi Baronia Lacciorum. Eſt & *Senus* flu. quem inter Mediam & Connaciam interlabi diximus, hic Ptolemæo *Senus*, Oroſio *Sena*, accolis vero *Shannin* dicitur, id eſt, *Flumen antiquum*. E Therne montibus in Ultonia eſfunditur, *Macolicum*, nunc, (ut Mercator noſter obſervavit) *Malc* cujus meminit Ptolemæus, in viſit, ſtatimque ab altero ſpatioſo lacu excipitur (*Lough Regith* appellant) cujus nomen, & ſitus *Rigium* urbem quam Ptolemæus eo loci ſtatuit, non procul abſuiſſe quodammodo ſubinnuit. Vbi vero Lacum hunc prætervectus anguſtiori alveo intra ripas ſe colligit *Athlon* opidum inſidet, ſub quo flumen ponte è vivo ſaxo pulcherrimo magno ſeditioſorum terrori Dominus Henricus Sidæus laudatiſſimus Hiberniæ Prorex non ita pridem conjunxit. Inde vero Senus maximarum navium capax diducto alveo Limiricum urbem, Hibernicis *Loumneagh*, Anglis *Limerike* amplectitur. Hinc per ſexaginta plus minus milliaria Senus reſtus, grandis que in Occalum properat, demumque in Oceanum Occidentalem vaſto oſtio ad *Knoc Patric*, id eſt, *Patricii collis*, evolvitur.

Opidorū nomi-
na.

Lacus.

Flumina.